

succedam castris Tyrrhenaque regna capessam.
sed mihi tarda gelu saeculisque effeta senectus
invidet imperium seraeque ad fortia vires.

natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella 510

hinc partem patriae traheret. tu cuius et annis
et generi fata indulgent, quem numina poscunt,
ingredere, o Teucrum atque Italum fortissime ductor.
hunc tibi praeterea spes et solacia nostri

Pallanta adiungam; sub te tolerare magistro 515

militiam et grave Martis opus, tua ternere facta
adsuescat primis et te miretur ab annis.

Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
lecta dabo totidemque suo tibi nomine Pallas.'

Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant 520

Aeneas Anchisiades et fidus Achates
multaque dura suo tristi cum corde putabant,

ni signum caelo Cytherea dedisset aperto.

namque improviso vibratus ab aethere fulgor
cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente 525

Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.

suspiciunt, iterum atque iterum fragor increpat in-
gens:

arma inter nubem caeli in regione serena
per sudum rutilare vident et pulsa tonare.

obstipuere animis alii, sed Troïus heros 530

adgnovit sonitum et divae promissa parentis.

tum memorat 'ne vero hospes, ne quaere profecto,

quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo.

hoc signum oecinit missuram diva creatrix,

si bellum ingrueret, Volcaniaque arma per auras 535

laturam auxilio.

heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!

quas poenas mihi Turne dabis, quam multa sub undas
scuta virum galeasque et fortia corpora volves,

Thybri pater! poscant acies et foedera rumpant.' 540

Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto

et primum Herculeis sopitas ignibus aras